Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35461
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



Liber

tua / et levita qui intra portas tuas est / Cave ne derelinquas eum qui non habet aliam partem in possessione tua / Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore / et ponesbis intra portas tuas / Venietque levites qui aliam non habet partem / nec possessionem tecum / et peregrinus ac pupillus et vidua / qui intra portas tuas sunt / et comedent et saturabuntur / ut benedicat tibi dominus deus tuus / in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris / Capitulum xvi

Septimo anno facies remissionem / quæ hoc ordine celebrabitur / Cui debetur aliquid ab amico / id est proximo ac fratre suo repetere non potest / quia annus remissionis est domini / peregrino et advenæ exigere / amicus et proximus repetendi non habebit potestatem / Et omnino in diebus et mensibus non erit mora voti / ut benedicat tibi dominus in terra quam datura est tibi in possessionem / Si tamen audieris vocem domini dei tui / et custodieris universa quæ iussit / et quæ ego præcipio tibi hodie / benedicet tibi / ut pollicitus est / fœnerabis gentibus multis / et ipse mutuo accipies a nullo / Dominabaris nationibus plurimis et tui non dominabuntur / Si unus de fratribus tuis qui morabitur intra portas civitatis tuæ / in terra quam dominus deus tuus datura est tibi ad paupertatem venerit non obdurabis cor tuum / nec contrahes manum tuam / sed aperies eam pauperi / et dabis mutuum quod eum indigere perspexeris / Cave ne forte succrescat tibi impia cogitatio / et dicas in corde tuo / appropinquat septimus annus remissionis / et aversus oculos a pauperi fratre tuo nolens ei quod postulat mutuum tuum commodare / ne clamet contra te ad dominum / et fiat tibi in peccatum / sed dabis ei / nec agres quippiam callide in eo necessitatibus subleuandis / ut benedicat tibi dominus deus tuus in omni opere / et in cunctis ad quæ manum miseris / Non deerit in terra habitationis tuæ solatium pauperibus tuis / ut aperias manum fratri tuo / et egeno et pauperi qui tecum versatur in terra / Quum tibi venditus fuerit / frater tuus hebræus aut hebræa / et sex annis servierit tibi / in septimo anno mittes eum liberum / Et quæ libertate donaueris nequaquam vacua abire patieris / sed dabis viaticum de gregibus / et de area / et torculari tuo / quibus dominus deus tuus benedixerit tibi / Memento quod et ipse fueris in terra egypti / et liberauerit te dominus deus tuus / Ideo ego nunc præcipio tibi / Cum autem dixerit nolo egredi / eo quod diligat te / et domum tuam / et bene sibi esse senserit apud te / assumes subulam / et perforabis aurem eius / in janua domus tuæ / et erit tibi vasis in æternum / Ancillæ quoque similiter facies / Non auertes ab eis oculos tu